

Pertinet ne appellatio Dei tantum  
ad personam Patris?

Deus est nomen essentiae commune tribus personis, Patri, Filio et [51:] Spiritui sancto. Ideo ecclesia ordinem articulorum sic cohaerere semper docuit ut post haec verba: „Credo in Deum“ vel ut in symbolo Niceno dicitur: „Credo in unum Deum“<sup>79</sup> usurparerit distinctionem, cui mox enumeratione subjiciatur explicatio personarum, ut constet, quis sit ille Deus, in quem credimus, videlicet Pater, Filius et Spiritus sanctus. Ac falsa est interpretatio fanaticorum, qui per sophisticam fallaciam compositionis ac divisionis hanc vocem „Deum“ ad solum Patrem restringunt excluso a divina essentia Filio et Spiritu sancto.

Dic testimonium scripturae, quod tres sint personae diuinitatis,  
non plures nec pauciores?

Matth. 3: Pater aeternus sonat hanc vocem, qua discernit personam suam a persona Filii: „Hic est Filius meus dilectus.“<sup>80</sup> Filius stans in Iordanе conspicitur, Spiritus sanctus specie visibili columbae demittitur, et institutione baptismi nostri inquit Christus: „Baptizate omnes gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.“<sup>81</sup>

[52:] Quomodo discernuntur personae  
diuinitatis?

Non tantum appellationis seu nomina differunt, sed realiter ac distinctis proprietatibus discernuntur tria ύφιστάμενα in una eademque diuinitate.<sup>c</sup> Proprietates sunt duplices, aliæ interne, aliae externae. Internae sunt gignere, nasci, procedere. Nam Pater est persona gignens Filium imaginem suam, Filius est integra et substantialis imago Patris

<sup>c</sup> diuina essentia: F, G.

<sup>79</sup> Symbolum Nicaeno-Constantinopolitanum, in: BSLK 26,3.

<sup>80</sup> Mt 3,17.

<sup>81</sup> Mt 28,19.